



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 4. Quid de Parochis diebus Dominicis & festivis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



*De Sacrificio Missæ. Cap. V. 251*

Sanctus Bernardus, hanc serdidam Sacerdotum avaritiam deplorat dum ait: *Ipsa quoque Ecclesiastica dignitatis officia in turpem questum, & tenebrarum negotium transierunt: nec in his salus animarum, sed luxuria quaritur divitiarum; propter hoc condentur, propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant, Psalmos decantant.*

S. Bernard.  
in Psal. 10.

*Quæst. 3. Qui tenetur Missam celebrare ratione Beneficii, Capellæ, aut Legati, potest-ne eandem Missam offerre pro alio, qui sibi stipendium dedit?*

*Resp. Non potest, ut censuit congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum autoritate sibi à summo Pontifice attributâ his verbis: Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capella, Legati, aut Salarium, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere. Patet etiam ex D. Thoma supra citato, quia una ex conditionibus quam requirit Divus Thomas ut Sacerdos possit aliquid accipere pro celebratione Missæ, est, quòd non teneatur ex officio Missam cantare.*

Cavanus in  
addit. ad Ma-  
nuale Episc.  
n. 13.

Ratio est, quia semper præsumendum est, quòd ille, qui nobis onus imposuit celebrandæ Missæ, voluit ad suam intentionem celebrari, nisi expressè oppositum declaraverit; in quo casu videtur posse Sacerdotem applicare Missam pro alio, & recipere eleemosynam pro hac applicatione.

Videatur Constitutio Innocentii XII. in fine hujus Tomi.

*Quæst. 4. Parochi tenentur-ne Missas applicare diebus Dominicis, & Festivis pro commissis sibi populis, & possunt-ne aliquam*



eleemosynam pro applicatione Missæ recipere? Et quid dicendum de Capitulis?

*Resp.* Sequitur ex supra citata declaratione, non posse Parochos eleemosynam accipere, pro applicatione Missarum illis diebus, cum ratione Beneficii teneantur Missam celebrare Dominicis & Festivis diebus. Et Concilium Tridentinum ad id etiam illos obligat, dum ait: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre. Cum enim ratione Beneficii teneantur Missas illas celebrare, sequitur ex S. Thoma supra relato, quod nihil possunt accipere pro applicatione illarum Missarum.*

Conc. Trid.  
sess. 23. De  
Refor. cap. 1.

P. 3. tit. 12.  
R. 5.

Et ut ait Gavantus in Rubricas Missalis: *De Parochis, quod quibus diebus tenentur Missam celebrare, non possunt manualement eleemosynam recipere, censuit expressè sacra Congregatio Concilii die 1. Septembris 1629.* Ad sunt etiam aliæ declarationes, & præsertim pro Ecclesia Vasionensi quæ non solum Cathedralis est, sed etiam Parochialis. Cum enim Episcopus, occasione visitationis Liminum sanctorum Apostolorum, & relationis status Ecclesiæ quæ sacre Congregationi Concilii offertur, varia dubia proposuisset, inter quos secundum his verbis conceptum erat: 2. *Quærit, an Missæ Conventuales, quæ diebus ferialibus cantantur, applicari debeant pro communibus populi necessitatibus? vel an applicari possint solummodo in favorem illius qui stipendium seu eleemosynam obtulit, sicut fieri solet?* Respondit sacra Congregatio die 14. Novembris 1693. *Mandet Missam Conventualem applicari pro populo, ut re maturè discussâ, resolutum fuit in dubio applicationis Sacrificii 10. Maii 1692. & in Hydrunt*



*De Sacrificio Missæ. Cap. V. 253*

*tina 1. Martii ejusdem anni. Tertium dubium propositum erat his verbis. 3. Quærit, an dum dici debent duæ Missæ Conventuales, propter officium alicujus Sancti occurrens in Quadragesima, aut aliis feriis majoribus, Missa de Sancto applicari possit pro Anniversario fundato, quod passim fieri solet in sancta Ecclesia? Respondit sacra Congregatio his verbis: Ad tertium negativè, quia Missa de Sancto est satisfactoria, & ex obligatione Festi currentis: Conventualis verò applicanda pro populo; & Missa de feria ex præcepto Ecclesiæ ubi viget consuetudo, nec pro hac aliud stipendium recipi potest. Debitam obedientiam præstitit his Decretis Capitulum nostrum Vasionense, & sine mora executioni demandata sunt, & in Actis capitularibus registrata.*

Videatur Bulla Innocentii XII. in fine Tomi hujus.

*Quæst. 5. Licet-ne accipere certam elemosynam pro Missa celebranda, & parte ejusdem elemosynæ sibi retentâ, alteri celebrandam committere?*

*Resp. Certum est in proposito casu esse mortale peccatum. Quod probatur 1. ex Bulla Urbani VIII. in qua sic legitur: Prohibetur etiam Sacerdoti qui Missam suscipit celebrandam cum certa elemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem elemosynæ sibi retentâ, celebrandam committat: itaut administratores Ecclesiæ ex elemosynis Missarum celebrandarum nullam utcumque minimam portionem retinere possint, ratione expensarum quas subeunt in Missarum celebratione pro paramentis, luminibus, vino, Hostia, & similibus; nisi cum Ecclesiæ & loca ipsa alios non habent redditus quos in usum earundem expensarum erogare licitè possint. Et tunc eam*

“ Bulla 431.  
“ Urbani  
“ VIII. quæ  
“ incipit:  
“ Cùm sæpe  
“ contingat,